



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

XXXII. Multiplici acceptione vitam nominari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

membro sanum est, altero ægrotum: ratione namque totius neutrum appellatur. Tertium, tunc unum & idem membrum sanum dicitur & ægrotum in diversis generibus, aut remotis, ut si in temperatione sit sanum & in compositione ægrotum; aut proximis, quemadmodum si sanum sit in quantitate & ægrotum in figura, numero, aut situ. Postremam, si vicissitudine quadam idem corpus interdum sanum sit, interdum ægrotum: nam cum nec sanum simpliciter nec ægrotum dici possit, neutrum appellatur.

Sed de uniuerso hoc tertio dispositionis neutra genere non immeritò quispiam dubitauerit. Quippe in 2. Alcibiade Plato & Aristoteles dum in Categoriarum libro de oppositis differeret, omnino pronuntiarunt, inter ægrotationem & sanitatem nihil esse medium. Quæ dubitatio tollitur: quoniam si ægrotatio ita sumatur, ut quamcunque temperationis inæqualitatem significet, aut perturbationem, quæ solam æqualitatis negationem corporibus nostris adterat; nihil profectò medium est, ut verissimè Aristoteles affirmavit. At si pro certa quadam in signi inæqualitate usurpetur, ex qua magna & sensibilis valde operationum læsio consequatur; verè etiam peritissimi medicorum principes inter sanitatem & morbum, dispositionem medià agnouerunt. Idcirco autem diversum hac in re fuit Aristotelis & Medicorum iudicium, quòd ille solam qualitatum naturam & sanitatis atque ægrotationis oppositionem consideravit, dum verba illa proferret. Quæ etsi minimè sensibilis sit inæqualitas, ex qua vix vlla possit in operatione læsio notari; non minùs tamen oppositione & repugnantiam continet; neque magis aut minùs mutat speciem & naturam rerum. Hi verò diuersas potius corporum affectiones spectarunt, quæ alia atque alia opus habeant moderatione victus: & idcirco tres diuersas affectiones distinctasque dispositiones esse voluerunt, quæ alias atque alias vitæ & alimenti formas postulent.

Ceterum tota hæc consideratio hic finè habeat. Sapienter namque monuit Arist. in lib. de sensu & sensibili cap. 1. & in fragmento, quòd extat ex lib. de sanitate & morbo naturalè quidem philosophum debere aliquid de sanitate & morbo dicere; sed ita, ut principia solum & causas vtriusque exponat; quatenus in qualitatum naturalium temperatione membrorum proportione consistunt & dispositiones ad operandum sunt. Reliqua quæ ad vtrumque caput referri possunt, medico relinquuntur, ne scientiæ nostræ terminos egrediamur.

NVM AD SANITATEM

fit motus.

CAPVT XXXI.



Taque vnica mihi superest hoc loco difficultas explicanda, quæ naturalem contemplationem habet. Ea est de sanitatis acquisitione seu ad sanitatem motu. Etenim auctor est Aristot. in 7. physicorū lib. tex. 17. ad sanitatem non esse motum. At si ad eam non sit motus, quo tandem modo comparabitur? Contrà verò cum omnis motus cum tem-

pore & successione fiat; si per motum sanitas pareretur, an non sanitatis tatumdem acquireretur, quantum morbi pelleretur? Quod si ita sit, erunt simul in eodem subiecto sanitas & morbus.

Mihi quidem certè necessarium videtur sanitatem comparari per motum, perque earum qualitatum alterationem, quas temperati atque ad proportionem adduci oportet. Sed quoniam sanitas non vnā aliquam ex primis qualitibus significat, quæ propriam & specialem actionem habeat, sicut calor calefactionem & frigus refrigerationem: verum ea, ut est illarum omnium qualitatum temperatio, ita per earum motum & mutam actionem acquiritur. Propterea ad eam dicitur non esse motus, quòd non per se & primū, sed secundariò & consequenter ad motum, qui in illis qualitibus efficitur, sanitas producat. Quam ob causam nusquam ea videatur adesse, nisi in vltimò momento, quo qualitatum illarum motus absolvitur. Quippe nil aliud est, quàm temperatio & proportio qualitatum per eum motum producta. Ergo motus ad sanitatem magno opere distinguendus erit ab eo motu, qui fit ad singulas illas qualitates. Quoniam in toto calefactionis aut refrigerationis motu & singulis eius partibus calor semper aut frigus acquiritur: siquidem calefactio & refrigeratio nil aliud sunt, quàm calor & frigus, quæ producuntur aut ad suam perfectionem progrediuntur. At in tota sanatione nil sanitatis acquiritur, sed corpus ad sanitatem disponitur; cum sanatio non sanitatem ipsam productam significet, sed qualitatum temperationem necessariam ad sanitatem. Totusque is antecedens sanitatem motus sanatio appellatur, quòd ad sanitatem tendat & ad eam tandem terminetur. Sicut & alteratio, quæ substantiæ formam antecedit, substantialis dicitur ortus, quòd via sit & productio tandem substantiæ: ortusque ipse, ut est in text. 14. lib. 1. physic. nominatur natura, quia est ad naturam via. Quod si quando Aristoteles ad sanitatem negauit eam motum, de termino motus primo & per se locutus est: voluitque ostendere alterationem propriè, quæ idem re est cum termino, qui producitur, non esse nisi in tertià qualitatis specie, cuius productionem reliquæ omnes facillè consequuntur. Et idcirco non dicuntur acquiri per motum per se & sibi proprium, sed per motum in illis tertij generis qualitibus factum.

MULTIPLICI ACCEPTIONE

vitam nominari.

CAP. XXXII.



Ostendè cum viuentium corporum temperatione maximè coniunctam esse vitam, & mortem illi oppositam; imò ex illa prorsus pèdere; nemo est, qui ignoret. Quoniam vel idiotæ homines norunt tandiu vitam nostram incolumem conservari, quādiū opportuna fuerit nostrorum corporum temperatio. Ea verò perturbata & contrariis qualitibus inter se pugnantibus à mediocritate auocata; morbos primū excitari, tūm verò ea planè corrupta & profligata conse-

consequi mortem. Quò aptius vitæ hæc mortifq. cõsideratio cum antecedenti sanitatis & morbi tractatione coniungitur. Si quidem sanitas conseruat vitam, morbus adducit mortem.

Ergo ne nominis ambiguitate laboret nostra nutèq. oratio, principio illud distinguendum est. Amplissima namq. acceptione nominatur vita, vt quoduis esse & quãlibet operationem significet, quæ quoquomodo supra naturã naturãq. operatione eleuatur. Quomodo in tex. 100. lib. 1. de celo, & tex. 39. lib. 12. Metaph. & c. 8. lib. 10. de moribus ad Nicomachũ, Deus, & separatè mètes optima dicitur & beatissima degere vitã. Et rursum in eod. lib. 10. & tex. 16. lib. 9. Metaph. scriptũ est, felicitatem esse vitam quandam, quod sit præstantissimum esse & nobilissima hominis operatio. Nonnũquã verò id significat, quod aut verè & re ipsa, aut apparet & sensũ iudicio à se ipso & in se ipsum operatur. Quo intellectu nõ solũ legimus tex. 29. lib. 6. Phisic: moueri à se ipso vitale esse atq. animatorũ proprium: sed etiam communi vsũ loquendi argentum viuum & aquam viuum appellamus. Interdum etiam pro ratione agendi quidpiam vsurpatur. Sic enim in 1. Metaph. lib. cap. 1. homo arte dicitur & ratione viuere: & tex. 32. lib. 2. de an. quãdam animalia phantasia sola viuere affirmat. Interdum pro essentia & operatione animãrum rerum propria: eãq. omnia complectitur, quæ in anima non sunt. Sic in tex. 13. eiusdem lib. multi vitæ gradus distinguuntur: & in tex. 37. viuere dicitur viuentiũ omnium essentia esse. Interdum pro illa essentia & operatione, quæ solius vegetantis animæ propria est. Quomodo in tex. 3. eiusd. lib. vitam definit esse, quæ per ipsum fit, alitionem, accretionem & decretionem: & in tex. 14. vegetantia omnia viuere: & in tex. 16. viuentia omnia habere à vegetante anima, vt viuant, à sentiente, vt animalia sint. Sepillimè tamen durationem significat, vt in tex. 100. ante citato, finis cõtinet vitæ vnus cuiusque rēpus: & rursum, à celo p̄der inferiorũ horum esse & viuere: & in lib. de vita & morte, vita definitur permansio esse nutritiẽs animæ cum calido. Atq. huc spectat Hippocratis quoq. illud in ipso Aphorismorum initio; vita breuis, ars longa, occasio præceptis, experimentum periculosum iudicium difficile: Hoc igitur nunc in intellectu sermo est de vita & morte; quatenus earum altera durationem & permansioem animæ in corpore significat; beneficio scilicet opportuna temperationis qualitarum omnium, ac præsertim caloris & humoris; & verò etiã in animalium plurimorum genere ope facultatis vitalis, quæ in corde residens, dum spiritum & calorem in vniversum effundit corpus, animã & vitam in eo magnopere tuetur ac fouet. Altera verò finis est & vltimũ vitæ: Dum deficiẽtib⁹ hæc dispositionibus anima statim aut perit aut certè corpus deserit. Sed cum vitam dicimus esse animæ permansioem in corpore; Nolo quemquam intelligere durationem formaliter, quæ tempus significat, sed materialiter animam ipsam permanentem & durantem in corpore, & illi dantem esse: formaliter autem existentiam seu potiùs formalem animæ in corpore existentis effectũ. Vt enim calor facit calidum, & vna quæq. forma in subiecto existẽs, quamdiu est in illo, dat illi suum effectum formalem: sic anima cum corpore coniuncta animatur illud & viuẽs facit, & tamdiu facit, quamdiu in illo existit. Hicq.

Effectus formalis est formaliter vita; existentiaq. mora est duratio, quæ quatenus est cum successione, mutatione, varietate, & prioris ac posterioris partibilitate, tempus est, quo viuens cuiusque vita mensuratur.

QVID VITA: QVAE QVE illius principia.

CAPVT XXXIII.

Vre igitur proprio potest & verò etiã debet Philosophus naturalis agere de vita, quemadmodum egit Aristoteles: Quia est naturalium rerũ, hoc est viuentium, affectio, animẽq. vegetãtis effectus, & naturalium qualitarum tẽperatione cõseruatur, atq. in calore præsertim & humore cõsistit. Quòd si medicus quoq. atq. adeo Astrologus agat, nihil mirũ cum fiat sæpè, vt plures artifices eandẽ materiã alijs atq. alijs modis tractet. Medicus enim de humana solũ vita sollicitus est; quaten⁹ suæ artis præceptis iuuari & conseruari potest. Astrologus ex causis dũtaxat remotis, generalibus, ac plerũque inanibus & fictis, ex aliorũ in quã aspectu, de ea loquitur. At naturalis Philosophus tũ de viuentiũ omnium vita agit, idq. solius cognitionis causa; rũ proprias illius, vt est naturalis corporis affectio, & proximas causas persequitur; quæ sũt qualitarum omnium temperatio & proportio, natũ caloris coniunctio cum humido primigenio, ac demum in animalibus vitalis facultas.

Principio autè pluribus explicare oportet, quid sit vita, de qua nũc sermo est. Ea sanè nihil significat re diuersum ab anima. Quã fortasse ob causã in tex. 16. lib. 9. metaph. scriptũ est, vitã esse in ipsamet anima. nihil enim aliud est quã eadẽ ipsa anima, quatenus corpori se cõmunicat, & in eo existit. Existimatur autè effectus esse vegetãtis animæ; quoniã in corpore omnium prima hæc suscipitur: Quia tamè nec effectus formalis à forma, nec existentia ab essentia, nec duratio ab existentia reuẽ durate, distinguuntur re ipsa, sed ratione sola; neq. vita, animæ existentia, permansio & duratio in corpore, vllã rē ab anima distinctã, sed quidpiã sola ratione diuersũ, significat. Quo circa ab omni profus abstrahit operatione; atq. in actũ primo & essentiali cõsistit, quæ anima, tribuit corpori. Tũ verò vitalis operatio inde consequitur, quod vnũquodq. esse essentiali operationis cuiuspiã principiu sit. Et idè etiã anima plurimarũ sit operationum fecũda, nec omnes vnquam intermittat, sed quidpiã semper agat, si tamen nihil ageret, viuere adhuc illud corpus, in quo ipsa esset.

Qua in re magnopere errasse nõnullos video, inter quos Turisanus*: Qui vitã putarũt formaliter in actũ secũdo, & operatione cõsistere, ac præsertim in nutritione, quæ nõquam nisi morte cesset. Sanè antiqui illi Philosophi, quorũ metio fit in tex. 16. lib. 8. Metaph. nõ ita Philosophati sũt, neq. in operatione, sed in coniunctione animæ cũ corpore vitæ ratione agnouerũt: & apertis verbis Aristot. docuit esse actũ primũ & essentialẽ, cũ viuere pronũtiãvit esse viuentiũ essentiali: quod si in tex. 3. & 14. lib. 2. de anima vitã vifus est vt actũ secundum & operationem nõminare: Vtrõque tamen in loco actum quoque primũ substantialis vitæ significauit, ex quo vitalis operatio proficiscitur. In altero namque statim subiunxit, quidquid habet vitam, substantiam esse compositam. In

De vita quæ agant.

Quid vitæ.

Vitam in actũ. 1. nõ in 2. consistere. * in cõ. 12. ad 2. lib. artis primũ Galeni.

In tex. 37. lib. 2. de anima.

D

Vita permansio anima in corpore.